



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

VI. De peccato Commissionis, & Omissionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

## CAPVT VI.

*De Peccato Commissionis, & Omissionis.*

22. *Quidnam peccatum Commissionis & Omissionis? Peccatum Commissionis actus est qui contra præceptum negatiuum fit: Omissionis autem est priuatio actus contra præceptum affirmatiuum. Affirmatiuum, & negatiuum præceptum expendi in definitionis intelligentiam. Affirmatiuum est, quod operationem aliquam præcipit, v.g. festa coles, ieiunabis, &c. Negatiuum autem, quod celsationem ab opere indicat, v.g. non occides, non moechaberis, &c.*

23. *Differt ne peccatum Commissionis à peccato Omissionis specie, secundum rationem materialem, & formalem? Differt, quia peccatum Omissionis non tantum est priuatio debite rectitudinis; sed etiam substantiæ actus, cui rectitudo debetur: peccatum verò commissionis est tantum priuatio rectitudinis, quæ actui debetur, & præterea priuat perfectionibus specie diuersis.*

24. *Quodnam grauius peccatum, Commissionis ne an Omissionis? Commissionis quidem. At Omissio, si culpabilis sit absque positiuo actu esse non potest, qui causa ipsius per se, vel per accidens existat.*

25. *Quandoam Omissionis peccatum committitur? Eo tempore, quo implendum est præceptum, quia omissio actus non est culpabilis, nisi eo tempore, quo præceptum vrget. Quid si Omissio eo tempore, quo deest libertas, contingat? Ea imputatur ad culpam, quando voluntariè causa datur, non vero quando ipsa contingit Omissio, v.g. me somno trado, præuidens fore, vt propter somnum Sacro die festa non intersum: tunc delinquo, quando voluntariæ illi Omissioni causam exhibeo. Quid autem si exurgam postea, & Sacrum exaudiam? Iam dans causam Omissioni deliquisti, licet accidentaliter non prodierit effectus.*

26. *Idem ne de Commissionis peccato dicendum? Ita planè. Si enim huiusmodi peccatum contingat eo tempore, quo in potestate, seu libertate hominis, non est, illud vitare, tunc imputatur ad culpam, cum data ei fuit voluntariè causa, v.g. in ebrietate homicidium.*

27. *Num actiones, quæ sunt causa Omissionis, malæ sint, & peccaminosæ? Sunt quidem; quia peccati causa, v.g. ludus, propter*



propter quem Sacrum omitto, malus est, & ad culpam imputatur. Imò actiones etiam ex natura sua bonæ, fiunt prave, si sint causa Omissionis præcepti, nisi ex necessitate fiant. v. gr. qui Sacrum omittit, vt domi studeat, peccat studendo. *Necessariò igitur huiusmodi actiones qua Omissionis causa extiterunt, erunt aperienda in confessione?* Nego consequentiam, nisi malitiam habeant distinctam ab Omissionis crimine.

CAPVT VII.

De Peccato Cordis.

28. *S*cio peccatum diuidi in crimina Cordis, Oris, Operis, in Spiritum sanctum: requiram igitur, *Quidnam Cordis peccatum?* Quod in ipsa ratione, & voluntate completur, v. g. Odium Dei, Hæresis, Inuidia, Superbia, & similia: eaque specie inter sese differunt.

29. *Morosa delectatio quid?* Est (de simplici delectatione loquor) illicitæ rei deliberata complacentia absque intentione illam opere perficiendi; quæ à Theologis consensus in delectationem assolet appellari.

30. *An de se mala delectatio de cogitatione?* Non, secluso morali periculo, & proximo in delectationem rei illicitæ consentiendi. At de re mala delectatio mala ex se; ideòque, si res illa peccatum lethale sit, etiam illius erit lethalis delectatio.

31. *Permitto in appetitu delectationem sine consensus periculo in delectationem ipsam: an mortaliter delinquam?* Probabile est te grauius non delinquere. Profectò non omnis de re mala delectatio est peccatum. v. g. si positiuo tantum iure mala sit. Et aliquando etiam si de iure Diuino. v. g. cum de malo tantum materialiter delectatio habetur.

32. *Delectatio de re facta in ignorantia est ne delictum?* Non, modo sit de actione naturaliter quodammodo contingente, & naturalibus ex causis. At si ex causa voluntaria, quamuis ignorantia, vel rationis defectu excusetur, tutius equidem à talibus cogitationibus abstinere.

33. *Coniugati, ne delectantur licitè de actu coniugali?* Ita planè. Nec ideo viduæ possunt de actu præterito delectari, sicuti nec sponsi de futuro; quia hîc Matrimonium non adest: ibi autem iam dissolutum est.